

Etōr pōtuerit aliquid agere, cū similibus, super quibus etiā classici, ac primi ordinis Aduocati, & causarum Patroni, quādoque scribere solent.

C. tit. de locato; & conducto, & tit. de credito, & debito.



De Præfectis Annonæ, & Grasciæ; Ac etiam de Præsidibus Dohanarum, Riparum, & Zecchæ.

S V M M A R I V M.

- 1 DE præsidatibus viarum, & carcerum remissuè.
- 2 De Præfectura annonæ ut incumbat Ciuitati.
- 3 In Vrbe secus quia incumbit vni ex Clericis Camera.
- 4 De Bulla Pistorum, & istorum priuilegijs.
- 5 De Congregatione annonæ.
- 6 An annonæ gaudeat priuilegijs fisci super exemptione gabellarum.
- 7 De Præfecto grasciæ.
- 8 De Præsede dohanarum.
- 9 Camera est iudex appellationis ab omnibus his Præsidibus, vel Præfectis.
- 10 De Præsede riparum.
- 11 De Camerario riparum.
- 12 De Præsede Zecchæ monetarum.
- 13 De Præsede Archiuij.

D I S C. XL.



Gendo supra de Tribunali Camera Apostolicæ constituto ex duodecim Prælati, qui Clerici nuncupantur, A, mentio habita est huiusmodi Præfecturarum, & Præsidatum, qui singulis annis distribuuntur inter ipsos Clericos; De Præsidatu autem viarum aliquid insinuatum est supra agendo de Tribunali Aediliū seu Magistrorum viarum B; Et de altero Præsede carcerum, pariter mentio habita est supra agendo de Congregatione Visitationis carceratorum C; Quare de alijs in præsentī agendo.

Quatenus pertinet ad Præfectum Annonæ, qui vnus ex Camera Clericis esse solet, pro frequentiori autem praxi, non cadit sub annuali extractione aliorum officialium, sed per Papam ad libitum deputari solet, eo quia requiri videatur quædam personæ industria, maiorque aptitudo; De iure administratio Annonæ Ciuitatis, ipsimet Ciuitati vel populo, eiusque magistratui ordinario communitatis, vel particulari huius rei annonariæ seu publicæ abundantia incumbit D; Talisque erat etiam in Vrbe antiqua praxis, quæ immutationem recepit, sub Gregorio XIII., qui eam commisit vni ex Clericis Camera, sub Præfecturæ nomine seu vocabulo, & cum iurisdictione in omnibus causis, quæ hanc materiā concernant, tam pro conseruatione, & augmento agriculturæ, ex qua annonæ utilitas pendet, quàm etiam, super cura & vigilantia, ne triticum aliæque fruges extrahantur, siue de loco ad locum, præter bannimenta, & ordinationes asportentur, ac etiam super necessitate denunciandi quantitatem, & qualitatem frumenti, aliarumque frugum relectarum; Siue inuigilando, nè fiant dardanariæ, seu monopolia, aut illæ emptiones notabiles, ad mercaturam, quæ incerte vulgò dicuntur, ex quibus monopolia resultare solent.

P. 2. Relat.

D d 2

Prout

A. disc. 33.

B. disc. 38.

C. disc. 29.

D. tit. de Regal. disc. 44. & 45. & 125.

Provt etiam super iurisdictione cum  
 4 pistribus Urbis, eorumque sustentatione, & Cognitione causarum cum eorum creditoribus, ad normam Constitutionis Urbani VIII editæ, eorum favore, & quæ Bulla Pistribus vulgò appellatur, cuius non contemptibilia commentaria addidit quidam Curie Aduocatus E; Et in summa super omnibus alijs, quæ istam rem annonariam concernant occasione provisionis frumentorum ab extra, dum pro eiusdem annonæ beneficio, atque ad euitandum mercatorum, & dardanariorum oppressiones iuxta exemplum Ioseph in Aegypto, ex publico ære, sub eiusdem Præfecti administratione, mediante opera multorum ministrorum, & officiarum in publicis horreis ad id destinatis, notabilis tractus quantitas haberi solet reposita, Ad eò vt iste videatur magistratus nimium considerabilis, qui speciè formati Tribunalis constituat; Vnde propterea frequenter habet audientiam Papæ, quæ super ijs, quæ concernunt hanc materiam quæ ad eò publicæ quieti, ac populi beneficio & administrationi confert, cõsulit, vt ex eius oraculo oportunas provisiones accipiat; Et quando in annis penuriosis  
 5 ita expedire iudicetur, conuocari, & haberi solet illa Congregatio annonæ, quæ inter plures ab eo erectas Sixtus V. instituit vt in præcedentibus insinuatum est. F

Huiusmodi verò annonariæ provisiones, vel respectiue distributiones, quæ pistribus, vel ciuibus fiant, quæstiones parere solent cum gabellarijs, & dohanarijs, an scilicet pro isto frumento solui debeant gabellæ, vel pedagia, aliaue onera, quæ per priuatos soluuntur pro introductione vel transitu, siue pro molitura vel alia contractatione; Dubitandi rationem præbente iuris dispositione seu regula eximente ipsum Principem, vel Ciuitatem eiusque fiscum gabellæ locatorem, ab eiusdem gabellæ onere; An scilicet ista dicenda sit res, vel administratio fiscalis, quæ isto potiarur privilegio; Atque licet pro generali consuetudine Iuristarum, non desit opinionum con-

naturalis varietas, vel scissura; Ea tamen probabilis ac recepta videtur distinctio, an scilicet ipse Princeps eiusque officiales, & ministri id agant in sola ratione prudentis, & æconomicæ administrationis, erogando pecuniã fiscalẽ, quæ pro huiusmodi provisionibus in magna quantitate requisita videtur, de illa tamen se reintegrando in eiusdem frumenti distributione seu explanatione, ad eò vt onus vel respectiue exemptio gabellarum, spectato effectu percutiat potius commodum vel respectiue incommodum priuatorum ciuium, & incolarum, qui frumentum, vel panem emanat, et tunc fiscalis exemptio non intrat; Secus autem vbi Princeps, eiusque fiscus id agat, gerendo illas partes, quæ eidem, tanquam patri subditorum, penuriosis, vel alijs accidentalibus temporibus incumbunt, vt scilicet gratuitus panis pauperibus, ac indigentibus distribuatur, siue quod omnibus distributio fiat pro minori pretio, suppleto de proprio id quod maior impensa imponit; Et in summa spectato effectu, an scilicet id quod importat solutio gabellarum, tendat in damnum ac iacturam ipsius filci, vel è conuerso onus reuera supportetur à populo, ipsisque priuatis, frumenti vel panis emptoribus vt primo casu intret exemptio fiscalis, non autem in hoc posteriori, vt latius ac particulariter aduertitur in Regalium sede. G

Præfectus Græciæ, est pariter vnus ex Clericis Cameræ, eodem modo quo ille  
 7 Annonæ ad nutum Papæ deputari solitus, cuius cura est, ad instar Annonarij, super Ciuitatis vbertate, ac provisione omnium aliorum victualium, occurrendo dardanariorum oppressionibus, tam circa carnes ordinarias, ac siluestres, quadrupedum, & volatilium, quam circa pisces, ac fructus & olera, omniaque alia, quæ humanum victum concernunt, id eò que inuigilat ac personaliter assistit in nundinis vel mercato, quod qualibet hebdomada fit in campo boario, alijsque destinatis locis animalium mactandorum, atque iurisdictionem habet cum macellarijs, & piscium venditoribus, ac alijs tenen-

G. dicto tit. de Regal. disc. 44. & 45. 125.

E. Antoin. ad Bullam Pistribus de quant. de credito disc. 37. & tit. de date disc. 166.

F. supra disc. 27.

mentibus apothecas salsamentarias; Et in summa super ijs omnibus, quæ concernant victualia, eorumque gratiam, ad eò vt speciem Tribunalis quoque constitueret videatur, eo modo de Annonæ Præfecto est dictum.

Dohanarum Præses, qui pariter est vnus ex clericis Cameræ, atque videtur officium quodammodo annexum Decano, habet cognitionem causarum seu controuersiarum quæ cadunt super modo soluendi dohanam terrestrem vel maritimam aliasque gabellas, ne ciues vel mercatores à Dohanarijs, & gabellarijs grauentur ultra debitum; Siue vbi quæstiones potioritatis vel concursus orientur, vt in Regalium sede, ac alibi habetur H ad eò vt dicatur in hac materia.  
 9 Iudex ordinarius primæ instantiæ, atque ab eo appellatur ad ipsam Cameram; Idque generaliter procedit in omnibus alijs huiusmodi Præfectis seu Præsidijs.

Præses Riparum curam habet eorum quæ per flumen vehuntur ad Urbem à partibus mediterraneis vel montanis, & propriè illarum mercium, quæ exonerantur in loco qui nuncupatur Ripetta; Et præsertim, ac generaliter id redolet præfecturam provisionis, & abundantia Urbis in lignis combustilibus, & in carbonibus, vt pariter occurratur monopolijs, & dardanarijs quæ in hoc genere cadere possunt, nimiumque refert, vt ista cura diligenter adhibeatur, vnde propterea habetur iurisdictione cum mercatoribus lignorum & carbonum, ac etiam cum nautis, & ductoribus currum seu carretarum cum quibus ligna vehuntur, alijsque operarijs circa idem ministerium.

Adest etiam alter Magistratus Riparum qui vocatur Camerarius qualis esse solet aliquis nobilis ciuis, vel incola tamquam per Magistratum Populi, cum suo Assessore. I

Zecchæ Præses, præest cussioni monetarum, nè fraudes fiant, apponendo maiorem ligam, dum Principis cura esse debet, pro publico commercio, ac populorum sibi subiectorum utilitate, vt mo-

H. tit. de Regal. disc. 65. cum seqq. & tit. de iurisdic. disc. f. 83. vbi de iudice Regalium.

I. de hoc magistratu dicto disc. 83. de iurisdic. dict.

neta habeat suum iustum valorem, ac propterea sit vbique expeditibilis, etiam extra principatum, vt in Regalium sede aduertitur L, ideoque iurisdictionem habet cum omnibus ijs qui huic ministerio vacant; Nec non super qualitate monetæ iam cussæ, propriæ, & exterae ne impendatur tonsa, vel minoris ponderis, seu falsificata, atque super hoc nimium inuigilatur, magnique rigores quando casus contingat, adhibentur & merito.

Archiuij Præses habet præsentiam & curam eorum quæ concernunt instrumentorum, & scripturarum conseruationem, tam in Vrbe, quam in vniuerso Statu ecclesiastico, vt scilicet archiua bene teneantur, & custodiantur, atque in eis ad formam Apostolicarum Constitutionum, & bannimentorum, Notarij exhibeant sumptum instrumentorum, aliarumque scripturarum, atque ad hunc effectum destinari solent visitatores, vel Commissarij; Id autem, licet bonum habeat finem, atque proueniat ex bona causa, producere tamen solet malos effectus, eo modo quo de commissarijs spoliatorum vel fabricæ superius insinuatum est; Vt in Regno Neapolitano docet praxis illorum visitatorum vel commissariorum, quos deputat Prothonotarius, quod sonat in idem.

De alijs autem officijs, quæ inter istos Clericos distribuuntur, mentio habita est supra, agendo de Tribunali Cameræ, dum non ita redolent speciem Tribunalium in Vrbe vt præmissa.

L. tit. de Regal. disc. 121. & 126. cum seqq.

